

1939

C O D I C E S

1940

rorum *Sermonariis*, quorum magnus numerus primis typis vulgatus est, sed nempe tardius Ars imprimendi solidas apud nos radices fixit.

Thecam posticam Compactor vestivit membrana, in qua e quodam magnifico *Psalterio* Hebraico punctato comparet *Psalms* CXV. a v. 14. ad v. 5. sequentis.

DCCCIV.

U. 607. Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 385. f. per duas columnas non una manu, bene tamen perscriptus, et minio destinctus, atque, ut praefertur, ad collegium beate virginis burse rose testamento M. *Johannis Goldner ex Hamburga* a. 1481. legatus sequentia continet: I. *Incipiunt collationes Magistri Thome de Haselpach de epistolis in festis sanctorum per circulum anni. et primo Prologus.* Ita: *Laudate dominum*

*Versus et versus in me dum confero versus,
Non valeo fari, non scribere, non meditari.
En fatear verum, que sit feritas mulierum &c.*

Hoc Metrice teste nihil pejus Femina. Alterum rhythmicum Stropharum 46. *Colmannum* quendam inducit de Uxore capienda

*Sit deo gloria et benedictio,
Johanni pariter, Petro, Laurentio,
Quos misit Trinitas in hoc exilio,
Ne me permitterent in hoc naufragio.*

in sanctis eius. Hic monet propheta regius spiritu sancto afflatus &c. Sub finem ait, *Collationes istas his decurrentibus annis populo sibi credito in perchtoldsdorff a se propria in persona declamatas fuisse utinam tam fructuose quam laboriose!* Porriguntur vero a Festo D. *Andreae* ad D. *J. Baptistam*, ubi Rubrica monet, subsequas in alio Libro quaerendas esse.

II. fol. 254. succedunt Eiusdem Sermones in Evangelia Dominicar. inscripti: *In die Sancto penthecostes Collatio prima.* In illud: *Si quis diligit me &c. Job. 14.* Initium: *Non solum scripture veteris et noui testamenti ammonent nos &c.* Neque hi ultra *Domini cam V. post Pentec.* progrediuntur, monente iterum Rubrica, Continuationem in alio Libro quaerendam esse.

III. fol. 320. p. 2. Carminaria. Primum versuum 26. in *Mulieres* hoc initio:

deliberantem, a quo proposito illum tres Angeli *Petrus, Laurentius* et *Johannes* a Trinitate submissi dimovent. Init:

*Uxorem ducere quondam volueram.
Vt vitam sequerer multorum miseram,
Decoram virginem pinguem et teneram,
Quam inter alias solus dilexeram &c.*

Ange-

1941

H O M I L E T I C I.

1942

Angelos hos mireris non satis sibi ab locutione fescennina temperare. Demum tertium carmen versuum 113. fata *Hugonis* Presbyteri exequitur, qui, dum ducta

uxore *Wandelmut* ab Episcopo in synodo propterea beneficio ecclesiastico privatus esset, ab ea quoque repudium tulit adferente: *Non te, tua semper amavi*. Init:

*Quondam colla iugo veneris submiserat Hugo
Presbyter elata muliere sibi sociata &c.*

Quando se deceptum videt *Hugo*, indignationis oestro in Dactylica rapitur:

*Femina fallere, fingere, prodere quando cauebit!
Secana piscibus, et mare fluctibus ante carebit! &c.*

Combina *Wandelmut* et *Sequanam*, et statues Carmen istud a Scholastico quodam *Germano Parisiis* conditum fuisse.

IV. fol. 323. ut in calce: *Tra-ctatus Augustini de essentia diuinitatis atque incommutabilitate*. Initium: *Omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus, atque trinus et vnus &c.* Non *Augustino* tantum, sed variis aliis tributis legitur Edit. *Maur. Opp. T. VIII. Adpend. col. 67.* Vide *Monitum* ibi praevium. Librarius noster no-

men suum subdidit: *Johannes Schörner de Czwickauia.*

V. fol. 328. *Collatio pulchra de sancta Katharina uel alia Virgine sancta*. Incipit: *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es. Cant. 4. Sancta mater ecclesia, cuius caput christus est &c.* Ad calcem, ut non facile aliquid membranae, aut chartae purum patiebantur remanere Librarii, adscriptum est sequens Epitaphium:

Sideribus patrijs rutilum par sidus in orbe

Vix iactis radijs destinor occidere.

Morte Ladislaus rex dux ruo fata secutus,

Vivo virtute me prohibente mori.

Moribus etatem superans decus artis avorum

Vinco pudicitie nobilitate patrem.

Cesaris ossa nepos abau (proavi?) premo proxima busto.

Qui tituli fueram, sum tumulique comes.

Ladislaus videlicet dictus *Posthumus* immaturo fato *Pragae* raptus a. 1457. 23. Nov. et 25. con-

Denis Codd. Theol. V. II. P. III.

ditus in Ecclesia Metropolit. contiguus, ut ait *Lupacius* in *Ephem.* ad h. d. *sepulchro Caroli IV.*

L Proavi

1943

C O D I C E S

1944

Proavi sui. An Ogdostichon istud alicubi insculptum sit, vel lucem viderit, nescio.

VI. fol. 333. *Triga Collationum*. 1) *in die parasceues Anno (14)XLV*. ut in calce: *per M. Jacobum de Wuldersdorf*. de quo propter Codices donatos non femel nobis mentio. Initium: *Sustinuit crucem confusione contempta, scribitur ad Hebr. 12. c. Reuerendi patres et domini &c. Beatus Crisostomus in quodam sermone &c.* 2) *item in die parasceues Anno Domini 1446*. ut in calce: *per M. Paulum de Mellico in Collegio ducali*. Initium: *Ad laudem beatissime trinitatis in predigna concione Vestri Venerabilis cetus &c.* 3) *Sermo M. Thome H. id est, Haselbachii pro Festo Theophoriae in illud: Caro mea vere est cibus &c. Job. 6.* hoc initio: *Cristus Dominus sue passionis et infiniti amoris volens nobis relinquere memoriam &c.* Exit in recensum Indulgentiarum hoc Festum specialiter colentibus collatarum ab *Urbano IV.* et *Martino V.*

VII. fol. 345. *Questio de Signis apparentibus circa Sacramentum altaris*. Orditur: *Vtrum caro aut sanguis christi visibiliter in sua propria forma totaliter uel secundum aliquam sui partem habeatur hic in terra?* Exponuntur varii Casus Adparitionum insolitarum circa sacram Hostiam, qui contigisse feruntur, examinantur theologice, mouentur et solvuntur Dubia, et proceditur continuo ad hanc Quaestionem: *Vtrum*

christus omnem sanguinem qui de corpore suo effluxit, in eodem corpore hora resurrectionis glorificauit? Hinc porro detegitur totius Tractationis autor; haec enim Quaestio in edit. *Opp. Joh. Hussi 1715*. T. I. p. 191. legitur, simulque patet, Editores non nisi Opus κεφαλων Lectoribus propinasse, et caruisse eorum Exemplaria prima Quaestione, qua Vir ille callidus dextre, uti norat, viam secundae praemunivit. An ille *Viennae* unquam moratus fuerit, ignoro. Interim mox sub ingressum *Quaest. I.* lego: *Ostenditur etiam hic Wienne in quadam tabula aurea aliquid de eadem carne prepucij*. Verum id fuisse liquet e Libello vernaculo cura *Matth. Hewpperger* per *Joh. Winterburger* a. 1502. et 1514. c. figg. 4. apud nos impresso, sane raro et a me in *Hist. Typogr. Vien.* pp. 15. et 101. descripto; sed, nisi τὸ hic interpolatoris dicam, non aliter me expedio, quam illud sensu ampliato sumendo; cum enim *Hussus* antea de *Roma* locutus fuisset, facile regionem regionem, *Germaniam Italiae* obponere potuit. Non absoluit Librarius noster totam *Quaestionem II.* sed manum sustulit in verbis: *Octauo quod de fide constituta a christo* — —, quae habentur paullo ante finem, in *Edit.* p. 201.

VIII. fol. 358. *Tractatulus dulcissimus B. Bernhardi ad fratres*. et disertius in calce: *super euangelium sancti Iohannis videlicet ante diem festum sciens ihesus, quod venit hora eius &c.* Puta *Sermones*

1945

H O M I L E T I C I

1946

mones XV. Ogerii five Oglerii Abb. *Lucediens.* de *Sermone in ultima Coena*, qui extant in *Edit. Opp. Maur. Bernhardi T. V. col. 597.* et a me non jam semel sunt relati. Nos censemus *Sermones XIV.* licet tres primi defint in Codice, cujus ratio est alia divisio. Initium nobis fit a *Sermone IV. Verbum Dei quanto amplius ruminatur, tanto dulcius incipit sapere &c.* Neque elocutio ubique sibi constat.

IX. fol. 382. Brevicula quaedam: 1) *Solutio Questionis domini Joh. polamar Auditoris missa de Concilio Basilien. contra Hereticos in Boemia Specialiter contra archibericum seu heresarcham qui dicitur Rokaczan Sub Anno domini M^o CCCC^o XXXVII^o.* Init: *Interrogasti me. An communitio sub utraque specie per se naturaliter bona sit. &c.* Captiosam vocat Quaestionem, et aliam retorquet: *An fructus arboris illius in quo nostri primi parentes peccauere, naturaliter bonus fuerit?* eaque bene ad propositum deducta directe respondet Textui: *Nisi manducaveritis — et hiberitis*, obponendo Textus: *Qui manducat me, et ipse vivet propter me, et: Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.* Demum concludit *Utraquistas Jonathae* mel gustanti acute comparando. De Autore in *Historia Concilii Basil.* fatis noto, et a me saepe in his *Commentariis* memorato videri possunt *Scriptt. Univ. Vien. Sec. I. p. 103.* et *Fabricius in Bibl. med. Lat. v. Johannes.* 2) *Episto-*

la *Lentuli Romani* ad Senatam de *Christo.* Init: *Apparuit nostris temporibus &c.* Extat verbis paululum diversis apud *Fabricium* in *Cod. Apocrypho N. T. P. I. p. 301.* *1084as* merito damnata. 3) *Sequitur litera Poncii Pilati de eodem missa ad Claudium.* Init: *Nuper accidit quod ipse probavi &c.* Est prior apud *Fabric. cit.* ejusdem fuufuris p. 298. 4) *Priivilegia Sacerdotum in Egipto tempore Joseph.* Loca tria e *Genesi* et *Deuteronomio.* 5) *Formula Tituli, ut vocant, Mensae Clericis in Dioec. Patav. dandi.*

X. fol. 384. *Responsio Sanctissimi domini Pij pape (II.) ad Boemos oratores ad instanciam Heretici Gyersik (Georgii Podiebrad.) tunc pretensi regis Boemie. Anno domini 1462.* Initium est: *Superioribus diebus cum audiuissemus &c.* Redibit inter *Codices Synodicos*, ubi plura de illa.

XI. pag. ult. *Brevis Relatio ita inchoans: Anno domini eodem scilicet 1462. Imperator turcarum misit de Constantinopoli ciuitate Domino pape supramemorato cum magno apparatu et auro atque argento caput sancti Andree apostoli usque ad Romam, quod et summus Pontifex cum multo clero honorifice suscepit.* *Causam missionis fuisse subitam omnium Turcarum mortem, qui ausi fuissent Sacrarium ingredi, in quo apud certos Religiosos Caput istud servabatur. Res vera falsis adjunctis vestita. Apostoli Caput impetravit Pius a Thoma Peloponnesi Despota, qui illud Patris Anconam*

1947

C O D I C E S

1948

nam a. 1461. advexit. Translatum inde *Narniam* Pontifex maxima pompa *Romae* sequenti anno intulit. Leguntur haec fuse in *Job. Gobellini* Vicarii non *Bononiens.* sed *Bonnenf.* et *Pio II.* a Secretis *Commentariis Rer. memorab.* hujus Pontificis. L. VIII. edit. *Rom.* p. 352. 1584. 4. Leguntur in *Georg. Phranzae Chronico* L. III. c. 26. in *Vita Pii* apud *Platinam* et *Ciaconium* in *Addit. Andreae Viſtorelli*, in *Annalib. eccl.* *Odor. Raynaldi* T. XIX. 1461. n. 43. et 1462. n. 1. et nunc mirare, quasi *Voltarium* audias, *Bailletum* in *Vitis SS.* T. III. *On ne dit point, d'ou Pon fit venir cette importante Relique, et Pon ne produit pas de titre capable de la rendre authentique.* Lapsus etiam est in eo, quod memoriam hujus Translationis 7. April. adfigeret, citato licet *Bollando*, qui illam T. II. *Apr. e ms. Florario SS.* ad 12. diem refert. Fuderit *Bailletus* oraculum suum inspecto solo *Martyrologio Rom. Baronii*, qui ad 9. *Maji* obiter tantum memorat, se *Rei gestae Historiam ms.* legisse.

DCCCIV.

U. 608
—12 Codicum Pentas chartacea Sec. XV. f. continet ejusdem *Thomae de Haselbach Sermones* tam de *Tempore* per circulum anni, quam de *Festis SS.* et in *Epistolas*, ut plurimum, ut ipse ait, in usum *mibi credito populo in Berchtoldsdorf.* Semel notatur annus 1427. Codice penult. qui scriptus dicitur a. 1457. in est etiam *Collatio*

Jacobi Ep. Laudensis in condemnatione Johannis Hufs de Praga, jam saepe relata.

DCCCVI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 203
Folior. 403. 4. currente calamo perscriptus, rubro distinctus, quondam *M. Jodoci Weyler de Hailbrunna* Theol. Prof. ad *D. Stephanum* Canonici, et ter *Academico Rectoratu* intra annos 1433—47. gesto a. 1457. defuncti, atque ab ipso, ut praefertur, legatus ad *librariam domus collegij ducalis Wienne* apud *fratres predicatores*, labores *Viri* hujus pro utraque cathedra complectitur. Primo videlicet *Sermones sacros* habitos ad *Coetum Academicum* partim apud *FF. Praedicatores*, partim et praecipue in *Die Coenae in Monasterio B. V. alias Scottorum* intra annos 1429—51. Horum primus est in *Annunciacione Marie Virginis* in illud: *Exortum est in tenebris lumen rectis &c. Ps. IIII.* et incipit: *Venerabiles et egregij — Annunciacionem virginis, aduentum seu Incarnacionem domini et saluatoris nostri &c.* A fol. 136. Adlocutiones diversi argumenti *Quaestionibus* theologicis et philosophicis mixtae auspiciantur. Prima occurrit *Collatio habita Wienne* coram *gubernatore regni Vngarie* (*Joh. Hunniade*) et *d. Cardinali Archiepiscopo Strigonien.* (*Dionysio Zéchio*) et *domino* (*Udalrico Com.*) *de cilia, et ceteris episcopis et prelati de regno vngarie et comitibus plu-*